

1785

1. * Ackermannus : Nimadversio V en jure autr.
quo. Programma, quo ordinarius senior ceteri
que antores fac. jur. memoriam Ackermann.
nihil am . . . indicant.
2. * Bestucheff : Controversia juri Criminalis
XVII. Programma, quo decaci sensiores cele.
regul antores qualior facultatum meos.
riem Bestucheffianam indicant.
3. * Borus : A voluntatio VII en adversariis iuri
judicarii. Programma, quo ordinarius senior ceteri
que antores fac. jur. memoriam Borus' am
indicant.
4. * Eisenstuckius, Christianus Tacatus : Reicht
effectu expectabatur plusbus simul habet
Programma, quo solemnis doctoralia Christiani
Tacuti Eisenstuckii indicit.



1785

- * 5. Heldorf, Ferdinandus Henricus, de: Universarium
juri*s* iudicarii adnotatio VII. Programma, quo
solemnia doctoralia Ferdinandi Henrici de Held.
Dorf indicat.
- * 6. Schutzio - Gorsdorffus: Comitatum juri*s* Cri-
minalis XVIII. Programma, quo ordinarii statu-
catorum assessores per juri*s* memoriam Schutzio
Gorsdorffianam indicant.
7. Binenus, Christianus Gottlob: De jure cundi
in partes officiique Imperatoris ordinari-
bus imperii in partes cundibus
8. Binenus, Christianus Gottlob: De fundis utriusque
Lusatiae etiam in primis eorum quae conditorum est pos-
sidentiarum iure.
9. Eisenstuck, Christianus Facetus: De modo superiori
fatus territoriales iura contra eos, qui se illi


subjectos esse regant, legitime persequenda.

10. Gruenher, Christianus Magister : De farto domestico.
11. Gutmann, Iulius Gottlob : Reponis easunque modo.
- 12 Heydemich, Benjamin Carolus Henricus : De jure
spanagii Constanti S. R. I. mediatores in Sacra
mia confurbata et familiari.
13. Jungkau, Dr. Tridivius : De mortis causa
donationum in dolo.
14. Jungkau, Dr. Tridivius : De patnia potestate,
nuptiis, legitimacione, et apertos bus, et quibus
modis ius patniae potestatis solvitur.
15. Keil, Carl August Gottlieb : De causis alieni
Platonicorum recentiorum a religione Christiana
anisus. Primum ea quae ratione auspicalem
indicit.
16. Kindius, Dr. Blasius Theophilus : De retentione
prizorii in concursu creditorum secundam ius

Saxoianum Electorale exinde.

17. Kindius, Joannes Theophilus: De foedibus
juris iudiciorum circulio, quo Iper Germania
obtinet.

18. Kindius, Joannes Daniel: De unionibus hered
Iuriis in Germania pro iuriis manuarii et
usitatis.



1780.

1785, 1.

ORDINARIUS
SENIOR CETERIQVE ASSESSORES
FACVLTATIS IVRIDICAE LIPSIENSIS

M E M O R I A M

A C K E R M A N N I A N A M

DIE XXIII. FEBR. A. CCCLXXXV.

H O R A I X
I N A V D I T O R I O S V O
R E C O L E N D A M
I N D I C V N T .

P R A E M I S S A E X I V R E A N T I Q V O
A N I M A D V E R S I O N E V.

Dr. D. Kotthau

ORDINARIA

SENIOR GETHEMOE AARDEGORE
TACITATIS THERIDICAE THERESIE
МАИАНОМЫ
АСРЕЯИАМЯ

ОУГОЛОДИТА И
НЕСОЛЮДА

ТРЕДИСТ

СИДИХ АФАХ АСЕМАЛІ

АСЕМАЛІ АСЕМАЛІ АСЕМАЛІ




 ANIMADVERSIO V.

De foro militari apud veteres Romanos.

Partitio inter iurisdictionem fori aut juris vel ciuilem vel
criminalē vocabulo magis, quam re videtur recentior
esse; res enim ipsa docet, omni tempore iudices vel de lit-
ibus priuatis vel de scelere aliquo commisso iudicasse, id quod
apud Romanos etiam seruatum, nemine profecto contradic-
cente. Quid in utroque de militibus stante republica statu-
tum fuerit, siue quisnam ius, siue de rebus ciuilibus, siue de
criminalibus aduersus militantes dixerit, frustra apud **VEGE-**
TIVM, FRONTINVM ac fere ceteros rei militaris scriptores qua-
res. Pauca itaque circa hanc causam ante oppressam rempu-
blicam colligere licet. Et quod ad lites quidem priuatas atti-
nent, primis temporibus nullae omnino in castris fuisse viden-
tur, cum ista Romanorum fortitudo commune in hostem
odium ac sola ad debellandum animi intentio vix forte passa
est, vt se ipsoſ inter ſe iurgiis diſcinderent, his facile ad futu-
rum redditum differendis. At si quid fortassis eiusmodi acci-
disset, haec solummodo ab antiquitatum scriptoribus memo-
riæ prodita sunt: primo milites extra vallum aut castra litigare non debuisse, idque instituisse Camillum in obsidione
Veiorum, deinde neminem, dum militaret, ab alio, quam
itidem milite iudicari potuisse, quod in primis centurionum
officium fuisse dicitur, **NIEVPORDT** ant. R. ſect. V. c. 5. §. 9.
Solet hoc probari ex **IVVENALI** L. V. sat. 16. v. 15. sq.

A 2

Legibus

Legibus antiquis castrorum et more Camilli

Seruato, miles ne vallum litiget extra

Et procul a signis. Iustissima centurionum

Cognitio igitur est de milite.

cf. LVBINVS ad h. l. At vero quando de causis ciuilium agitur, hic locus non satisfacit, cum ibi togatus contra militem ob crux fractum non institueret actionem ex lege Aquilia ad poenam aestimationis auctori applicandam, aut aliam ciuilem, sed accusaret eum, et publicam vindictam posceret, sum tam mox verberibus per centurionem laedente.

Quod vero ad delicta attinet, eaque militum propria, quis dubitet, ea antiquitus in castris a ducibus, aut qui eius loco essent, punita esse, quod non solum severissima disciplina exegit, quae fortitudinem Romanorum et paciebat et alebat, ducibus ac imperatoribus dum cum exercitu extra virtem essent omni potestate animaduertendi atque adeo in ciues Romanos sine prouocatione reliqua, sed etiam tam multa aerbiissimarum poenarum exempla ostendunt, in castrorum desertionem aliaque crimina militaria statutarum, quae referruntur in primis a FRONTINO Strategem. L IV. cf. LIPS. de milit. R. opp. p. 377. quanquam nec desunt rei, qui in urbe apud censores populumque ob delicta in castris commissa accusati sunt, FRONTIN. l. c. p. 269. Quod autem ad ea crimina pertinet, quae hodie communia vocare solemus, i. e. quae tum a militibus, tum ab iis qui sunt extra militiam perpetrari solent, horum quoque cognitionem penes magistratum militare fuisse, constans antiqua historia dubitate non permittit.

In primis

modus

ca

In primis vero nemo ex militibus furtum in castris impune committebat, nec nimiae libidines permittabantur, nec falsum testimonium. *¶* Audiamus de ea re POLYBIVM Lib. VI. hisfor. latine potius ex LIPSTO de militia R. opp. p. 376. ut placeamus Lectori, quam graece: *Tribunus ius habet, potensque est multandi, pignoris capiendi et verberandi.* *¶* Fuste autem percutitur et is, qui furto aliquid abstulit e castris, et qui falsum testimonium dixit, et qui in flore aetatis corpore suo reprehenditur abusus, itemque, qui ter ob eandem culpam multatus fuerit. *¶* Haec talia ut crimina puniunt, at ignorantiae et militari probro adscribunt ista; nempe, quae sequuntur militaris delicti genera. *¶* In primis furtum seuerissime puniebatur, ita ut M. Cato memoriae prodiderit, aliquando comprehenis in furto inter commilitones dextras esse praecisas, aut si lentius animaduertere voluissent in principes, sanguinem missum, FRONTINUS stratagem. L. IV. c. 1. magis tamen ad ignominiam, quam ad mortem, cf. GELLIUS Noct. att. L. 10. c. 8. Aliud exemplum est Imperatoris Pescennii Nigri, qui decem communitates pulones ob unum gallinaceum raptum securi percutere volebat, donec ob metum seditionis capitis venia data, eos, redditis provinciali denis gallinaceis, per totam expeditionem cibo calido uti prohiberet, SPARTIAN. in vita Pescennii c. 10. quae poena seueritas tantam ad exempla vim habere consueuit, ut aliquando, eodem FRONTINO ibid. c. 3, auctore Romano, rum vniuersus exercitus, sub M. Scauro merens, pomiseram arborem, quam metatio in pede castrorum complexa fuerat, postero die abiens intactis fructibus relinquere. Interim tamen et hic habemus exempla iudiciorum de huiuscmodi

-TOMAE

A 3

com-

communibus delictis extra castra habitorum, quale est Traiani apud PLINIVM L. VI. ep. 31. de centurione adulterii reo, ac Tiberii, qui apud SVETONTVM in eius vita cap. 30. praefectum alae, de vi et rapinae accusatum, sententiam in senatu agere iussit; vnde proficiisci videtur, duces in castris habuisse quidem ius, etiam de communibus delictis cognoscendi, at non semper eo usus esse. Atque adeo posterioribus temporibus nullum Proconsulem, Praesidem, vel Legatum consularum ius necis in militem habuisse, nisi expresse fuisse datum, idem LIPSIUS l. c. ex Dione docet.

De generibus poenarum, quae procul dubio variae ac arbitrariae fuere, ac suppliciorum, non opus multa dicere. Inter haec praecipua fuit securis praecedentibus virgis, cui sequiori aeuo substitutus gladius, LIPS. l. c. p. 379. Fuere tamen et alia. Fustuarii, sub quo non leuis fuste castigatio, sed poena capitalis intelligitur, meminit CICERO Philipp. III. c. 6. ac LIVIUS L. V. c. 6. atque indolem eius recenset POLYBIUS l. c. scilicet quod reus a militibus fustibus, lapidibusque usque ad necem percuteretur. Eiusmodi fustuario nullus miles affici poterat, nisi post conuocatum a tribuno consilium, causa cognita rite damnatus esset, ut itidem ex POLYBIO apud LIPSIUM L. C. p. 304. discimus; quodque in omni poena capitali locum habuisse coniicimus. Aliud sere simile supplicium militare TACITVS L. 3. annal. commemorat, quo milites condemnatum districatis gladiis excipiebant, trucidabantque, quod valde conuenit cum decantato illo iudicio hastato criminali (*Spieß-Recht*), usitato apud veteres Germanos in exercitu, quod fuse descriptit

SCHOT-

SCHOTTELIVS de iurib. sing. Germ. c. 27. et ex eo LUDÓVICI
Kriegs-Proc. c. 7. §. 7.

Haec de antiquissimis temporibus. At sub Imperatoribus,
 in primis sequiore aeuo, alia et hic rerum facies; non quidem
 ut nobis videtur, quod ad ipsam regulam, verumtamen varias
 inducendo exceptiones. Etenim quoad causas ciuiles, omnem
 iurisdictionem in militum personas demam fuisse iudicibus
 militaribus, citius nobis haud persuadimus, quam ostensis
 in hanc rem claris legibus, aut aliis luculentis testimonii.
 Nec minus, quod ad delicta attinet, putamus, regulam ab
 Imperatore Constantio l. 2. C. Th. de iurisdic. sic expressam:
Si militans aliquid admisit firmetur, is cognoscatur, cui rei militaris cura
demandata est, nec non ab Imperatoribus Honorio ac Theodo-
rio l. 6. C. de iurisdic. omn. iud. ita propositam: Constat, militarem
reum, nisi a suo iudice, coerceri non posse, in genere saluam spon-
temque seruatam fuisse, quae adeo ante tria iam semisecula
necessitatem rei ad iudicem militarem, puniendo causa, remit-
tendi, pepererat, l. 9. D. de custod. reor. cf. Coroll. nofr. crim.
XI. quod adeo regulam tenuit, ut Imperator Traianus eum
etiam, qui, postquam priuatus de capitali criminis accusatus
esset, nomen militiae dedisset, ad forum militare requiri posse,
rescripsit l. 4. §. 5. D. de re mil. Nec praefecto praetorio, at
quanta huic potestas! illa in milites iurisdictio erat, l. 1. C. de
off. mag. mil. quam legem CASP. ZIEGLERVS de iure maiest. L. I.
c. 29. §. 22. male de praefide prouinciarum intelligit. His
prae summis animaduertamus, singulas, quas nunc proponemus,
circa forum militare mutationes, tantum pertinuisse ad pro-
 vincias,

VIII

vincias, non autem ad Romani vel veterem vel nouam, nec
 ad reliquam terram imperio subiectam, quod annotare forte
 non opus putauit IAC. GOTHOFREDVS ad l. 2. C. Th. de exhib.
 vel transf. reis et ad Nou. Theodof. XIV. not. a. Prima itaque ex-
 ceptio a remittendis ad iudicem militarem reis militibus ea
 erat, quam et nos l. c. tetigimus, ut quando miles non soluni
 castra deseruerisset, sed etiam post hanc desertionem aliud ad-
 huc crimen commune, idque atrocius illa atque in ipsa pro-
 vincia, perpetrasset, adeoque duplicitis delicti esset reus, tum
 captus in prouincia non remitteretur. Etenim tunc super eo
 cognoscendum erat apud praesidem prouinciae, ex rescripto
 Imperatorum SEVERI ET ANTONINI CARACALLAE, procul dubio
 primum propterea, quia desertor crimen nouum commune
 extra militiam commisisse videretur; in duobus autem deli-
 citis minus per maioris poenam simul coeretur, l. 32. §. 1. D.
 ad L. Aquil. deinde etiam ea de causa, quoniam ut saepe
 animaduertimus, Romani forum delicti omnibus reliquis an-
 teferre solebant, dist. coroll. XI. p. 3. l. 22. D. de accus. d. l. 3.
 de re mil. De hac igitur exceptione clare loquitur ICtus MODI-
 STINVS, qui l. 3. D. de re mil. Desertorem ait, auditum ad suum ducem
 cum elogio Praeses dimittat, praeter quam, si quid grauius ille des-
 tertor in ta prouincia, in qua repertus est, admissit; ibi enim eum plebi
 debere, ubi facinus admisum est, Diu Seuerus et Antoninus refripse-
 ruit. Huc etiam forte referendus locus ICti ARRI MENAN-
 DRI l. 4. §. 2. D. de re mil. Qui desertioni aliud crimen adiungit,
 grauius puniendus est, et si furtum factum, veluti alia desertio habe-
 bitur. Geminata vero desertio capite puniebatur, d. l. 5. §. 5.
igitur

Igitur de eiusmodi cum desertione coniuncto delicto, minime vero de simplici desertione intelligenda est lex prima, *C. de deserto*, ubi GRATIANVS et reliqui Imperatores deserto rem latitatem, vbiunque correptum seueritati iudicis offendendum esse, praecipiunt. Ceterum quamuis autem qualis similitudo inter desertionem ac furtum MENANDRO intercedere visa sit, vix diuinare possimus, neque CELESTINVS MIRBELIUS, qui huius ICti de re militari libellum integro commentario illustrauit, quicquam de ea re dicat, tamen etiam ex eo loco apparet, non solum hoc: Romanos in milite criminis proprii ac communis coniunctionem maximo odio habuisse, sed etiam denuo illud: extra prouincias etiam communia militum delicta, (nam de his ibi sermo est, nulla prouinciarum mentione facta) coram foro militari coercita suisse. Sunt, qui ad confirmandam de relicta ab Imperatoribus praefidi delictorum communium coercitione etiam PAPINIANI responsa l. 22. *D. de accus.* Alterius prouinciae reus apud eōs accusatur et damnatur, apud quos crimen contractum ostenditur; quod etiam in militibus esse obseruandum optimi Principes nostri generaliter rescripsierunt, vtantur, inter quos etiam summus IAC. GOTHOFREDVS ad l. 2. *C. Th. de exhib. et transf.* est, nec negari potest, hos optimos Principes eosdem esse Seuerum et Caracallam, quos MODESTINVS nominabat, quippe sub quibus Papinianum quoque vixisse constat, HOFFMANN. hist. iur. P. I. c. 1. p. 336. EV. OTTO in Papiniano c. 3. sq. At verba ICti, si recte intelligantur, illi sententiae magis obesse, quam prodesse videntur. Dicit enim in criminibus ciuilibus ab unius prouinciae ciue in altera per-

1111111111

B

petratis

petatis forum delicti praeserendum esse, atque addit: quod
 etiam in milibus obseruandis optimi Principis generaliter rescripe-
 runt; quibus verbis nihil aliud significari potest, quam hoc;
 in militia quoque forum delicti obtinere, scilicet generaliter et
 secundum regulam, non posita exceptione, quae posterior lo-
 cum habet in prouincia; ut itaque iidem principes hic loci
 generaliter, ac nulla prouinciarum mentione facta, illuc l. 3. D.
 de re mil. de exceptionis specie quoad prouincias rescriberent,
 quod utrumque factum esse oportet intra paucorum annorum
 seriem, nempe inter annum 195. ac 213. quo spatio isti simul
 regnarunt. Hinc iustitia sententiae eiusdem ANTONINI diu-
 dicari potest, cui, breui post a. 216. soli regnanti factum nar-
 rabatur, quo miles, fortassis desertor, homicidij accusaretur
 coram praefide prouinciae, cuius cognitio ex supra allegato
 rescripto circa eam rem esset. Miles exceptione se tuebatur,
 ac probabat, hominem esse quidem a se percussum, at non
 occidendi animo, sed casu. Itaque non homicidium commi-
 ferat, nec adeo delictum commune, nulla igitur supererat
 praefidis cognitio, vnde Imperator pronunciabat, sententiam
 secundum disciplinam militarem proferendam esse, l. 1. C. ad.
 L. Cornel. de sicc. cf. l. 1. C. Grigor. cod. ap. SCHVLTING. Ipr.
 Ante-Infin. p. 706. Vnde miramur, ipsum Iac. Gothofredum
 hunc locum pro noua lege venditare, qua idem Imperator sibi
 non satis constans militibus praescriptionem fori antea admis-
 tam reddiderit.

At sequenti tempore ea res magnam adhuc mutationem
 tulit, quamvis ignotum, quo legislatore? Id discimus ex CON-

stantii

STANTII

STANTII (non Constantini; TAC. GÖTHOFREDVS ad h. l.) epistola ad Taurum P. P. anno 355. scripta l. 2. C. Th. de iurisdict. in qua quidem quoad causas ciuiles sic forum militare deminutum esse censet, ut certum definitumque esse dicat, omnes eiusmodi causas in prouinciis, vel ipso milite reo, apud eam Rectorum agendas esse, quae verba significant, vnam vel plures leges circa hanc rem praecessisse. In causis criminalibus autem idem Imperator voluit, ut contra priuatum rector prouinciae, aduersus militem is, qui militiae curam habeat, cognosceret. Idem priuilegium ipsis conferuarunt VALENTIANVS AC VALENS, qui anno 363. itidem rescripsere, l. 1. C. de exhib. vel transf. si quis sit, qui in prouinciis crimen publicum (adeoque delictum cummune) commiserit, eum ob qualitatem personae ad magistrum militum referendum esse; absente scilicet imperatore, hoc enim praesente ista relatio ad eum ipsum facienda erat, vt patet ex iis, quae Tribonianus ex illa lege refecare placuit, vid. l. 2. C. Th. eod. quamuis ipsa lex, vti in Codice Theodosiano l. 2. eod. seruata est, id solummodo absente imperatore, ad quem alias ante omnia referendum erat, fieri deberet.

Eadem sententia adhuc tenuit, et per exceptionem magis confirmata est tempore THEODOSSI M. qui a. 393. l. 9. C. Th. ad L. Iul. de adult. ad conitem et magistrum utriusque militiae per Africam (adeoque nec haec lex extra prouincias dilatanda) scribit, si quis miles adulterii reus factus sit, eum praerogatiua fori militaris non vti, nec accusatoris mariti forum declinare posse, sed confessim audiendum esse, vbi sit accusatus.

cusatus. Causam huius sanctionis veremur cum IAC. GOTHO-
 FREDO in frequentibus de adulterii militum querelis ponere,
 ac quia militares personae in hac re famosi ferme sint. At
 vera ratio in verbo *confessim* latere videtur, quia scilicet hic
 facta in ipso adulterio deprehensio ipsique accusator mari-
 tus, primarius genialis tori vindex l. 30. C. eod. supponitur;
 vbi per se patet, cognitionem neque melius neque citius
 quam in accusantis foro fieri posse. Summarium enim erat
 et celerimae expeditionis adulterii iudicium, quapropter ex
 Legis Iuliae capite quinto licet marito, deprehensum adul-
 terum, quem occidere aut nollet, aut non liceret, viginti ho-
 ras, non ultra, apud se custodire, l. 25. D. ad L. Inl. de adult.
 vt praesens esset reus, nec iudicium longius traheretur.
 Nec omittendi sunt Inipp. HONORIVS AC THEODOSIVS qui an-
 no 412. rescripto itidem ad Praefectum Praetorio dato l. 6. C.
 de iurisdicti non solum militum exemptionem ab alieno foro in
 re criminali confirmarunt, sed etiam in causis ciuilibus resti-
 tuerunt fanciendo, tum ut magisteriae facultati potestas sit, au-
 diendi quaestiones ciuiles inter priuatum actorem, militarem
 que reum, tum culposum coercendi. Tandem THEODOSIVS
 iunior Imp. fertur in omnia alia abiisse ac milites a fori mili-
 taris priuilegio exclusisse, ipsique fori exceptionem, quam
 reliquis iudicibus opponerent, ademisse, per legem, quae est
 inter eius Nouellas constitutiones in Codicem Theodosianum
 relatas numero XIV. Id non solum inscriptio: DE IAMOTA
 MILITANTIBVS FORI PRAESCRIPCTIONE ostendere videtur, sed
 ipse etiam IAC. GOTHOFREDVS ad eam not. a. hac lege omnem
 fori

SULLIO

215

fori militaris praescriptionem amotam esse opinatur. At per-
 lustremus legem. Est ea nec generalis, nec ita specialis est,
 vt reliquae a nobis supra expositae, augens non solum pro-
 vinciarum, sed etiam praefecti praetorio ac urbis iurisdictionem,
 pertinens tamen, vt videtur, tantummodo ad militiam
 palatinam. Haec vt probemus, ipsam hanc Theodosii no-
 nouellam cuius partem tantummodo, truncatam Iustinianus
 Codici suo tit. *in quibus causis militantes fori praescriptione uti pos-*
fint, inferuit percurramus, quae quatuor rescriptis continetur.
 Eorum tria priora anno 439. ac sequenti, ad Praefectum praetorio postremum anno 441. ad magistrum militum datum
 conspicitur. *Primum* solummodo de iurisdictione civili agit,
 de ea nempe, quam rectoribus provinciarum in illos milites
 exercere liceat, qui ciuilibus negotiis, in primis praediis alienis
 vel publicis vel priuatis conducendis se immisceant, quod san-
 citum est ad compescendos eos, qui, vt hoc eo liberius facere
 et eo difficiliores conueniri possint, se militiae dare solebant.
 Dicit itaque THEODOSIUS: *Sancinus, omnes omnino Domesticos,*
Agentes in rebus, et quaeunque alia praetenditur militiae (nempe
*palatinae) dignitas, sub moderatoribus provinciarum, functionibus pu-
 blicis respondere, nulla fori praescriptione valitura, -- imo et in aliis*
priuatis occupatos malumus respondere, qui per provincias sociantur
*(negociantur) vel conductorum vocabulis utuntur seu domorum di-
 vinorum, s. virorum potentium seu cuiuslibet conditionis sint conductores.*
 Videmus itaque mentionem fieri domesticorum et agentium
 in rebus, quos scimus ex militia palati imperatorum, hoc est
 ex ea fuisse, quae, quamvis et ipsa honore armorum geren-
 tium

dorum ipsoque armatae militiae nomine esset condecorata, tamē a militia armata, proprie sic dicta secereretur, et quamquam subinde etiam in expeditionibus etiam bellicis, v. g. ad littorum riparum aliorumque locorum custodiam adhiberetur, tamen primum huius militiae palatinae officium erat, ut praeter corporis Imp. tuitionem, in prouineias mitterentur, publicarum exactiōnū aliarumque necessitatum causa, inter quas capturam quoque reorum referas, AMM. MARCELL. L. XV.
 c. 3. et 5. vnde executores vocabantur, aut apparitores l. 4. 5.
 7. 9. ac 10. C. Th. de execut. l. 4. 7. C. Th. de executor. l. 2. 15.
 eod. de agent in reb. vbi iis, qui in hoc officio peccarent, cieclatio e militia poenae loco dictatur: cf. IAC. GOTHOFRED. ad paratitl. C. Th. tit. de re mil. Inter hanc igitur palatii militiam praecipui fere erant Protectores, Domestici atque Agentes in rebus, t. t. C. a domest. et protect. item de agent. in reb. et IAC. GOTHOFRED. paratitl. C. Th. ad hos tit. IDEM ad l. 5. C. Th. de domest. quorum duo priores familiarius principi in eius palatio militare dicebantur l. 8. 9. C. Th. eod. l. 42. C. Th. de haeret. l. 2. 3.
 C. Th. de agent. in reb. atque honore, praefecti praetorio vicarium in salutationibus osculandi gandebant, l. 1. C. de domest. et protecl. His itaque, qui antea vel missos se in prouincias finxerant, vel demandato hoc officio suo variis modis abusi fuerant, adeo ut nec in natales sibi prouincias absque harum periculo mitterentur, l. 5. C. Th. de domest. l. 4. 7. 9. 10. eod. C. de executor. THEODOSIVS IVN. ista Nouella si in prouincias negotiorum vel publicorum vel priuatorum nomine versentur, negat exceptionem fori militaris competere, potius ipsos rectos munib
 ribus

ribus prouinciarum subesse debere, ea sola conditione exempta, quando de negotiis propriis commeatum in annum accepissent. Et ea quidem sanciuit, hoc capite primo quoad provincias, milites palatinos et causas ciuiles, *capite secundo* vero ac *quarto* eadem praeprimis ad praefectum praetorio, curiales et apparitores magistri militum delictaque produxit, exceptis quoad apparitores trecentis personis, quibus magister militum beneficium nonnisi coram se litigandi, concedere posset. Hi sunt illi, qui numerarii vel statutarii vocabantur, quorum etiam meminiit ZENO et ANASTASIUS. l. 5. C. de apparit. mag. mil. c. 3. C. de off. mag. mil. atque non minus dicunt, eos praecognitione fori uti posse, ceteros, qui supra numerum sunt apud praefectos praefidesque conueniendos esse, d. l. 5. Ast idem ille Theodosius capite *tertio* dictae Nouellae exceptionis exceptioni nouam exceptionem adiungit, aut potius, fori militaris praescriptionem non ubique sed tantummodo in militia palatina cessare debere, verum iis, qui in proprie armata militia militent, fori exceptionem remanere, confirmat, aiens se, consuetudinem haec tenus obseruatam de scholaribus quidem (palatinae militiae). obseruari yelle, at vero certissimum esse, legem nuper (ante tres menses, cap. 2. huius Nouellae) promulgatam non loqui, de ceteris militibus armatis, vel de tribunis, qui numeros agant; manifesto arguento, id quod supra diximus, vere militantibus sicut fori praescriptionem semper seruatim esse. Vnde nec ipsius IVSTINIANI Nouella constitutio VIII. c. 12. §. 1. data ad Praefectum praetorio Illyrici aliter, quam de prouinciis in quibus milites praesidi, tanquam

XVI

tanquam vnico harum iudici, absque militaris alias priuilegi exceptione suberant.

At ecce auocat nos a militia sagata Vir togatae militiae RVDOLPHVS HOMMELIVS nobis et aui AVGVSTI FERDINANDI et patris CAROLI FERDINANDI in ordinem nostrum meritis et sua cum diligentia tum venustate morum carus, qui, cum hoc usque stipendio, a SIEGFRIDO ACKERMANNO, celebri quondam mercatore Lipsiensi, constituto, ornatus sit, memoria auctoris publice recolenda gratiam referre cupit, reliquam orationis partem breui de necessaria coniunctione litterarum graecarum cum iure eleganti, commentatiuncula expleturus.

Huic solenni orationi RECTOR MAGNIFICVS, CELSISSIMI PRINCIPES, ILLVSTRISSIMI COMITES AC VTRIVSQUE REIPVBLCAE PATRES CONSCRIPTI, CIVES DENIQUE GENEROSISSIMI AC NOBILISSIMI, quotquot ex his singulis et litteris et Ordini nostro et oratori fauent, vt frequentes interesse velint, omni obseruantia et humanitate rogamus. Scrib. Dominica Reminiscere anno CIOICCLXXXV.

EX OFFICINA SAALBACHIA.



Leipzig Diss. 1785 A-0

ULB Halle
004 317 580

3



56.

f

KD 18






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-695319-p0026-7

DFG



ORDINARIUS
SENIOR CETERIQUE ASSESSORES
FACULTATIS IVRIDICAE LIPSIENSIS

MEMORIAM
ACKERMANNIANAM

DIE XXIII. FEBR. A. CCCLXXXV.

H. O. R. A. I X
IN AVDITORIO SVO
RECOLENDAM
INDICVNT.

PRAEMISSA EX IVRE ANTIQVO
ANIMADVERSIONE V.

Dr. D. K. Schaefer